

# TONINGA, FRISIAE EIDORENSIS OPIDVM.



**F**RISIA Eydorensis, quam Saxo Grammaticus Frisiam minorem appellat, ab Eydora fluuio, quo à Dethmaria versus orientem hiemalem diuiditur, nomen sortita, hodie Eyderstadia nominatur, quæ annos plus minus centum peninsula fuit, amne siquidem Milda per exiguo interuallo versus Septentrionē olim continenti distincta, hoc tempore continenti prorsus coniuncta est. Milda enim per plures fossas augustis alucis diducta, æstuarijsq; aduersus occidentem ingenti incolarum labore extensis & limosa terra, quæ interiacebat reciprocantis maris alluione aucta, aggeribusq; munita, vix nomen suum hodie retinet. Accidit enim vt Seneca scribit:

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit, Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,  
Omnia sede mouet, nil finit esse diu. Subsident montes & iuga celsa ruunt.

Versus occidentem æstiualem Heuera à Nortstrandia insula determinatur meridionale littus ad occasum hyemalem arenosum, & in tumulos exaltatum, Oceano alluitur, ita vt à Septentrione vbi continenti iuncta est, versus meridiem quatuor miliaribus Germanicis extendatur, totaq; circumferentia spacium quindecim miliarium excedat.

Ex multis iudicijs apparet, Nortstrandie insule olim etiam continenti vnitæ, ante paucos annos coniuncta fuisse, sed Oceani immani effusione ab ea diuisa. Sicut & totum illum tractum ad Tonderam vsq; ac hodie à Frisij in habitatum, qui munitionibus aduersus Oceani sæuentis iniuriam defenditur, Nortstrandie perpetuo cõtextu annexum fuisse dubium non est. Siquidem in maris recessu, in ea Nortstrandie parte, quæ Oceani sæuitia præruptis æstuarijs salo oppressa & mari æquata est agrorum elices, & fulculi, fossæ item & colliquis, puteorūq; cespites appareant. Ceterum inter reliquas septentrionalis Frisie prouincias, Eyderstadia ob agri fertilitatem, hominum multitudinem Eydoræq; fluuii nauigabilis & piscosæ commoditatem, præcipua & nobilissima semper habita fuit.

Soli enim tanta fertilitas est, vt Battauorum testimonio, ipsam Battauiam non modo exæquet, sed etiã superet, eo quod pecudes vt boues & vaccas multo maiores alat, quarum magnitudini vix vllæ in tota Europa respondeant vnaq; vacca singulis diebus præbeat nouē cantharos lactis, nempe libras Lubecenses 36. Vnde fit vt inter primum Maij & vltimum Septembris diem tanta caseorū copia nauibus exportetur, vt vicies ter centena millia librarum excedat, vt ex libro rationum libri pendis deprehenditur. Insuper omnis generis frumenti ita ferax est, vt singulis annis magnâ copiam ad vicinos Hamburgenses, Bremenses, Stadenfes, & transmarinos Ambsterodamenses transmittat, & nihilominus omnibus rebus quæ ad victum pertinent, abundet nulloq; genere nisi sale & lupulo indigeat. Parochias habet octodecim, easq; permagnas & populosas: Pagos multos & ferme se inuicem contingentes: Opida duo, & in ijs iudiciorum sedes, quarum Toninga ad Eyderam sita, noua & splendida arce Adolphi Slesuicia & Holsatiae Principis iussu ante octennium extructa, negotiatorumq; ob portus commoditatem frequentatione, totius regionis emporium celebre & in primis illustre est. A Edificia & prædia per totam regionem exacto latere magnificè extructa multa visuntur, inter quæ nobiliora sunt ipsius Principis Adolphi prædia duo, & quæ à nobilibus possidentur, vt à Ranzouijs Garde, à Siuardis Marnè, à Pogvvijs & Blomij Koldenbattel & Cathringarde, & ab Hoyeris Hoyerfvordt & VVollsburtel.

Tota prouincia diuisa est in tres partes, quarum præcipua, quæ continenti adiacet, Eyderstadia appellatur, proxima huic Euersep, extrema, quæ versus occidentem hyemalem extenditur Vtholm. Singulæ partes olim suos habuerunt præfectos, iudiciorumq; sedes. Hodie vero ab vno præfecto, quem Stallerum appellant tota prouincia gubernatur, Incolæ lingua peculiari & gemina præter Saxoniam vtuntur, eademq; cum reliquis Frisij orientalibus & occidentalibus communi. Vnde liquet ex ijs ortos esse, siquidem hoc præter linguam communem, morum vestitus & ædificiorum similitudo, item propria nomina vtriusq; sexus satis testantur. Quare dubium non est, hos Frisios Eydorenses cum finitimis Nortstrandiam & vicina loca ultra Tonderam inhabitantibus æquè vt orientales & occidentales Frisij, bellicosissimæ & nobilissimæ Francie gentis sobolem esse, cum hi ex illis, illi vero ex Francis originem ducant. Memoriam enim non minimæ autoritatis scriptores prodiderunt, Frisum siue Frisonem à patre Clouio Francorum rege, regioni quæ mari adiacebat præfectum fuisse, regnumq; ibi Francorum principum consensu condidisse Anno mundi 3964, Anno vero Christi secundo. Quod verum esse vbi supra dictum, communis omnium Frisorum testatur lingua, quæ verè Francicam esse antiqui codices Francici sermonis & idiomatis, quos vidimus, legimus, & cum nostra Frisica contulimus, euidentissimè demonstrant. Quamobrem nemini mirum sit, huius minoris Frisie incolas, vt Francorum fortissimæ gentis propago, libertatem multos annos armata manu tutatos esse: Siquidem in hunc vsq; diem immunitatū priuilegij gaudent, neq; ultra solutionem debiti vectigalis extraordinarijs seruitijs & ministerijs grauari se patiuntur, quod bella cum Regibus Danie pro libertate gesta & clades Abelis regis, qui exercitu eius internecione deleto in aggere prope Mildam Anno 1252. à Frisij Eydorensibus interfectus fuit, satis testatur.

Quo tempore aut hæc prouincia cum adiacentibus ab ijs inhabitari cœpta est, scriptores nostrorum rerum, quod meminisse non prodiderunt. Cæterum ex Saxone grammatico constat, Eydorenses Frisios à Canuto in belli societatem aduersus Sueonem Danie regem Anno Christi 1152 ascitos ciuitatem & arcem Millenburghk præsidij causa extruxisse, vt affirmare nõ dubitem, ultra quingentos annos eos hic confedisse, quod diligenti Danicarum rerum lectori inuestigare difficile non erit. Hæc de Frisij Eydorensibus & reliquis finitimis, qui vna appellatione Frisij appellantur occasione Toningensis opidi collegisse & annotasse sufficiant.

*Frisia nunc mihi Carmen erit, Cognomen ab ipso  
Eidore fluuio cui tribuere suum.  
Hanc olim cinxit totam circumfluus humor  
Ac ideo prisca insula dicta fuit.  
Nunc diuersa huius speciei regionis habetur  
Vtq; illam vises arida præbet iter.  
Fertilis est multum, superat quoq; quilibet oras  
Quas sub se celebris Belgica tota tenet.*

*Cernitur arx illis, quam dux erexit Adolphus  
Splendida sat, nec non principe digna viro.  
Oppida sunt illis duo, sunt et prædia plura  
Nobilium, dominis non odiosa suis.  
Continet hæc octo parochias terra decemq;  
In quibus ad populum dogmar a sancta sonat.  
Per se extendit miliaria quinque decemq;  
Fringibus immensis agricolamq; beat.*

*Præterea, antiqua ne libertate careret  
Temporibus prisca hæc scelus ausa fuit.  
Nam celebris Danie regem prostravit Abelum  
Et non ulterius viuere passa fuit.  
Sic exercitibus fines intrare volentem  
Excepit quondam Frisia dicta, suos.*

## H V S V M.

**H**V S V M, opidum, situm in ditone Ducis Adolphi tanquam ducis Slesuicensis, habet portum mercatorum negotiationibus celebrem. Nam tractus Oceani Heuer nominatus id præterlabitur, ita vt facile in eundem nauigatio in Hollandiam, Selandiam, Angliam, & Scotiam in stitui possit vnde varij generis merces reportantur, quæ inde Hensburgam, quo tantum per 8 miliaria distat, aueruntur & sic ex Oceano orientali in occidentalem transferuntur. Hoc opidum etsi domibus, plateis, longitudine, amplitudine, ac vberitate soli, ciuitati Flensburghensi vix cedat, Tamen ante hoc tempus nullum habuit ius ciuitatis, nec muro vallo-ue aut fossis fuit cinctum, propterea quod Dithmarfi nondum essent subacti atq; à Ducibus Holsatiae & Slesuici ac eorum senatoribus metueretur, ne Incolæ arrepta occasione deficerent ac se Dithmarfis adiungerent, vicinosq; populos ac Insulas, vt Eiderstedenses ac Serandenses, ad rebellionem commouerent, ac in hoc opido munitionem haberent. Nunc autem Dithmarfis ferè per 25. annos subactis ius ciuitatis certis conditionibus ac legibus adepti sunt Anno 1582. 19. Februarij à Duce Adolpho qui ibidem arcem longè pulcherrimam ædificauit, estq; eius altitudo poli 55. graduum 40. Minu :